

**Sacris magisterii
honoribus: quos deo duce &
auspice, rectore magnifico
con...**

Thuronius, Andreas,

1 Ic 1664 Krook, Benjamin



National Library
of Sweden

SACRIS
Magisterii Honoribus: 13

Quos
Deo Duce & Auspice,
RECTORE MAGNIFICO
Consultissimo & Clarissimo VIRO
DN. M. AXELIO KEMPE,
Phil. Pract. & Hist. Prof. celeberrimo.

& T
DECANO FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
Spectabili atque Clarissimo Viro,
DN. M. ANDREA THURONIO,
Phys. & Log. Prof. Publico;

PROMOTOR

Reverendus & Clarissimus VIR
DN. M. PETRUS BERGIUS,
Græc. & Hebr. Ling. Prof. ordin.

*In Regiâ Aboënsi Academiâ, die 24. Maji, Anno
1664 publicè & solenniter conferebat*

Reverendo & Præstantissimo Viro,
DN. BENIAMIN S. Kroof/ In Reg.
Gymn. Wib. Gr. & Hebr. Ling. Lectori solertissimo, nec
non ejusdem p. t. Rectori attentissimo.

Quævis fausta precantur
MUSÆ ABOICÆ.

A B O Æ,

Imprimebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.

1664

Sic Tibi Thespiades, Kroki venerande, ministrant
Præmia, quæ vigili parta labore capis.
Testis ad Embeccam studiorum Pallas amica est:
Cujus pendebas fidus ab ore diu.
Testis & Upsalia est: celebris nunc testis Aboa,
Digna Magisterij quæ tibi signa dedit.
Quamq; regis doctâ Wiburgi mente, cathedra
Gymnasij titulis nunc favet ipsa novis.
Ipse ego Philosophos inter, Reverende Magister,
Gratulor ex animo laurea ferta tibi.
Et precor, ut patriæ profint, quos sumis, honores:
Gymnasio & vestro sint decori, atq; tibi.
Inter cœlicolas tandem sine fine triumphas:
Justitiæ & cinget celsa corona caput.

*L. Mq; licet subito
scrib.*

ANDREAS THURONIUS

Phys. & Log. P. & p. t.

Dec. F. Ph.

Dum facit excessus soceri, tua tempora, magni,
Mæsta: diœcesis, vestra domusq; dolent:
Ecce tibi meritos decernit Pallas honores
Vallibus in nostris, Castalidesq; Dea.
Tristia sic Phœbus roseâ tua fata serenat
Luce: malis miscet nuncia lata Deus,
Salve materies affinibus, author amicis,
Lætia: & socrus, delicia atq; tua
Conjugis: & patriæ decus ingens, Gymnasijq;
Laus memoranda, tuo quod regis imperio.
Gratulor excimios Parnassi in vertice honores,
Quos labor & virtus promeruere tibi.

Pulchra

Pulchra corolla tibi datur, annulus, atq; tiara.

Et liber: & resonâ voce Magister eris.

Hos, Embecciaes, titulos, Musæq; Salana

Decrêvere tibi: at contulit Aurâicus

Phæbus: & in testes studiorum ritè venere,

Embecca & Wÿborg, Upsalia, Abodia.

Vive novo felix, Præclare Magister, honore:

Qui patriæ proste, Gymnasiôq; Vale!

Honoratiss: Dn. Affinis novis honori-

bus L. Mq; appl: hoc

schediasmate

MART: MILTOPÆUS

Eloq. Prof. Publ.

Ad

VIRUM Reverendum atq; Clarissimum,

M. BENJAMINEM KROOF in Gymnasio

Wiburgensi Ebrææ & Græcæ Lingvæ Lectorem dex-

terrimum, & Gymnasij ibidem p. t. Rectorem:

A Mphitryoniadæ celebratur fama per orbem,

Sanctaq; Pierijs foedera pacta jugis:

Ille paret doctis tranquilla habitacula Musis;

Hæ contrâ Alcidæ fortia facta canant.

Vinxit is Herôas, non se modò, foedere tanto:

Jura dedit cunctis enthea Phæbigenis.

Vix etenim firmo steterit munimine præcox,

Gloria Virtutis, laudibus orba suis.

Quocirca, ut studium patrandi gnaviter unum est

Fortibus, hæc Musas tam celebrare decet.

Unde tamen Phoëbo tam sit numerosa propago,

Quæris, & unde tuus, Diva Minerva, cliens?

Talia forte fuit te Pallada quærere mirum,

Cum cerebro tu sis edita virgo Jovis.

Tam

Tam benè tu poteris fido gaudere cliente,
 Quàm queat ipse tuus Jupiter esse parens.
 Quanta tibi in nostro proles, ó Diva, Lycéo,
 Progeniesq; venit jugiter, ipsa vides.
 Quindenâ hóc uno quia facta beator anno,
 Quod tibi de Fennis pollicearis, habes.
 En! præcinctus adest *Praclarus in Arte Magister,*
Benjamin Krokus, fronte corolliferâ.
 Aonidum in castris turbæ insudare novenæ,
 Unicus huic fuerat visus, & unus amor.
 Præfuit ille diu magnâ cum laude Juventæ,
 Litora Carelijs quâ sinuata plagis.
 Jactat se tanto doctore Scholastica pubes:
 Gaudet eo Mystâ coetus & ipse sacer.
 Magnus in Arte cluit, Divæ Eusebiæq; Sacerdos;
 Ille potens dictis, moribus ille gravis.
 Foederis ille memor, pepigit quod in urbe vetustâ
 Ambraciæ Alcides, Regia jussa facit.
 Hinc Patriæ dulci promptè inservire parato,
 Nunc etiam Lauru cingit Apollo caput.
 Quid precer huicce tuo, dic Diva Minerva, clienti?
 Exæquent laudes ut mea vota pias.
 O vivas, vigeas, sospes! nec subruat ætas
 Postveniens laudem, Vir Reverende, tuam!
 Ito avibus faustis, quò te vocat entheus ardor!
 Sitq; memor Patriæ, sis memor atq; Dei!

*Ita R. de Cl. et T. a honores Magisterij
 Philosophici gratulatur L. M. g.*

M. PETRUS LAURBECCHIUS
 Facult. Phil. Adjunctus.

Tria ferme ÿs sunt necessaria, qui in studio literarum ali-
 quod operæ pretium facere satagunt: Natura scilicet, Exer-
 citatio

citatio, & Fortuna. Natura facit, ut quis audita facile percipiat, retineatq;. Exercitium labore & sedulitate natura vim perficit, ut laudabiliter vivens, mores cum doctrinâ & eruditione componat. Fortuna deniq; praeſtat, ut nē paupertate ab honesto propoſito abſtrahatur. Singula hæc in Te, Affinū Honoratiſſime, reperiri, multoties verè percepi, atq; haud obſcurè quisque ex quotidianâ experienciâ percipere poteſt. Optaram ſanè diu, quo pacto officium meum debitum erga Te A. H. declarandi anſa mihi daretur: jure tandem nunc optimo ſummos in Philoſophia honores, ab ampliſſima Facultate Philoſophica Tibi oblatos adituro, aliorum votis & gratulationibus meam quoq; addo, atq; poſtulate fraterno officio & amore de exoptatiſſimo pariter ac feliciffimo ſtudiorum Tuorum eventu ex animo Tibi gratulor, mihiq; gaudeo. Hoc ipſo egregiè demonſtras Te, nec operam nec oleum perdidiffe, nec parùm ſolatiſſimæ familiae noſtrae angore & triſtitia conturbatae attuliſſe, nec ſpem amicorum defraudaſſe. Vergant Tibi porrò res Tuæ fauſto ac ſecundo grefſu. Ego tandem, quæ mearum eſſe partium exiſtimo, Deum cernuiſ precor votis, ut Te cum Tuis ab omni malo protegere, omnia fauſta in ſpiritualibus & civilibus largiri dignetur. Hoc calido meo voto finiam, poſtremò rogitans, ut me Tui obſervantiſſimum ſolū fraternâ Tuâ fide & benevolentia complecti digneris qui ſi quid honoris & officij Tibi A. H. præſtare unquam concedatur, non paſſurus ſum fruſtra requiri ſtudium ulla in parte meum. Vale.

Aboæ die 20 Maji, Anno
Chriſti 1664.

NICOLAUS NYCOPENSIS.

CAſtalijs longè ſi quis verſatus in undis,
Scit ritè & ſcitè verba latina loqui.
Ad ſummos talis meritò tollatur honores,
Horret ab indocto, docta Minerva viro

A 3

Æquâ

Æquâ justitiæ procedunt lance sorores
Quas totus passim mons Heliconis habet,
Serta parant doctis; qui non versatus in arte,
Accipit is nullo præmia nulla loco.
Hoc certum, studio longoq; acquiritur usu
Gloria, per ventos nulla columba venit.
Exemplo hocce tuo monstras doctissime KROKI,
Te noctesq; diesq; invigilasse libris,
Miles & artis eras, Parnassi & fidus alumnus,
Castalidum soboles, Aonidumq; decus,
Carmina nunc Charites Tibi pangunt, ipseq; Apollo
Fructus nunc studij, jam parat inde Tui.
Splenduit ecce dies, toto de pectore gratus,
Quo cingat meritas laurea digna comas.
Nunc Te Pimpleidum chorus eligit arte Magistrum,
Atq; offert mitram Pallas & alma Tibi.
En digitu rutulant tibi gemmis undiq; & auro
Ornatè doctis pergis adesse viris.
Gratulor ergo Tibi meritò clarissime BENJAM,
Doctis qui Musis & pietate viges.
Ergo bonis avibus magnos fortitor honores
Vive, vale, & patriæ commoda quære tua.
ARVIDUS M. Baur.
Hollolensis.

*S*Trenuus ut miles vult tandem rude beari,
*C*ingere sic tandem claros cupit Ethea virtus.
Ut radijs lustrat sol terras & loca cuncta,
Sic decorant artes imitantes castra Thalia.
KROKIUS exemplo est Wiburgi Gymnasiarchas
Cujus Dorpati meritos suspendit honores
Injustè impietas divi hostis, ad usq; sophiæ;
Quos

Quos Aboæ tandem cum sænore reddit Apollo.
Latus honore Tuo merito sum: namque corollam
Jure tenes nunc Eusebia sophiaq; Magistri.
Cum valeas solide rerum cognoscere causas,
Ergò virtutum jam præmia justa reportas.
Gratulor ergò Tibi permagnam prosperitatem,
Te quoniam Astripotens genio, ingenioq; beavit.
Atq; iidem precor ex penetrali pectoris imo,
Ut perfelicem dei Nestoream Tibi vitam;
Quaq; præclâ cælicolis Te jungere possis.
Fautori voveo hæc, jubeo quemq; hisce valere.

JACOBUS S. URSINUS.

Wib. Carel.

EJa veni KROKI, decus Eusebia sophiaque,
A nostro Clario jam decorande choro.
Dorpati sacra Thespiadum benè castra secuto,
Cum Tibi pro meritis danda brabeja forent.
Distulit ast eadem Mars Muscoviticus hanc ad
Efferus usq; diem, haud abstulit ille tamen:
Munera namq; Tui genij sunt nota Minervæ
Aboicæ, toti castalidumq; choro.
Æterni pia verba Dei Tu spargere pergis
Atque docere rudes Pieridum pueros.
Ergò connectit nitidis, *Doctissime KROKI,*
Doctus Apollo tuis spicea sarta comis.
Gratulor eximios Tibi toto ex pectore honores,
Quos meruit pietas, sedulitasq; Tua.
Gratulor hincq; Tibi foecunda Carelica tellus,
Quod sis præclaræ facta parens sobolis.
Gratulor & tibi Musicolùm Wiburgica turba,
Tanto soletti quòd duce digna cluis.

Huic

Huic igitur mecum jam concine carmina læta,
Gratesq; ex toto pectore pange Deo.
Huic etiam mecum voveas jam prospera fata,
Nestoris ut superet secula longa senis.
Sydere felici det pergere cuncta JEHOVA,
Atq; Tibi tandem regna beata! VALE.

ANDREAS I. STRANDENIUS
Wijburg.

UT floris comes est fructus, fructus quoq; odores,
Qui mulcent vario pectora quaque modo.
Sic onus eximium clari comitantur honores,
Quiq; solent doctos condecorare viros.
Krokus hocce suo exemplo demonstrat aperte
Aonidum soboles, Careliæq; decus.
Dorpati is studij stadium perfecit ad Embeck,
Volvendo assiduò candida scripta sophor
Illum cumq; vidit Pallas nunc arte valere
Eximiâ, saliens maxima dona refert.
Hinc & Sicelides saltantes carmina pangunt,
Munera quaq; volunt reddere more suo.
Præsto est Melpomene cupiens jam cingere frontem
Sertis, & palmis condecorare manus.
Præsto est Calliope latura monilia collo
Aurea, & exornans brachia lapidibus
Quod superest, voveo: rutili moderator olympi
Nominis in laudem hæc vertat ubiq; sui.

Insu-

*Insuper incolumem & salvam Te ducat ad annos
Nestoreos; tandem ad calica regna ferat.*

JOHANNES G. SALMENIUS

Kexh:â Carelius.

Romæ quondam à Marco Marcello bina exstructa es-
se templa annalium Romanorum relatione constat,
quorum unum *Virtuti*, alterum *Honori* consecrârat, ea-
demq; ita junxit, ut cupienti ad honoris, non nisi per
Virtutis templum aditus pateret. Et quidem rectè:
Honoribus quippe decorare eum, qui nec vel umbram
virtutis tetigerit, dedecet. Optimè itaq; Tibi, Vir
clarissime, consultum videbatur, quod primùm iustra
tis cunctis templi virtutis angulis, jam jam ad culmen
honoris pervenire fas esset. Eximia enim in Te can-
det virtus, præclara eminet doctrina, vario sermonum
idiomate polles; è quibus Tua in juvenilibus annis dili-
gentia, in literis à puero perseverantia, jam in docendo
literarum cultores industria, in dirigendo dexteritas, & ut
rem verbo complectar, in omnibus fides & jucunditas ne-
mini non apparet. Lætor equidem & maximè lætor, no-
stra quod patria tantæ sobolis sit facta parens, alrix, fau-
trix. Gratulor hinc Tibi, Fautor indubitatisl. eximios
hos honores, & larga studiorum præmia, quæ, certè
longè antè merita, jam jam porriguntur, ac opto, fau-
sto feliciq; ut eant cursu; insuper, ut cuncta quampris-
mum in S. S. Triados gloriam, in charissimæ patriæ u-
tilitatem, in studiosæ juventutis ulteriorem in literis pro-
gressum, Tuis in solatium, Tibiq; tandem non saltè in
præsens caducæ vitæ prosperitatem, verum etiam
in coelestem & æternam felicitatem vergant, ex imo
pectoris fundo voveo & exopto. Vale.

MICHAEL Sutthoff Wijburg.

B

Præ-

Premia, quæ Tibi jam, KROKI favitor venerande,
Reddunt Pierides, Te meruisse patet.
Non etenim in molli jacet alma scientia lecto,
Ipsa sed assiduo parta labore venit.
Nec etiam segnis tangit labra tosta columba;
Gloria nec pigris est residens humeris.
Indicat hocce tuus clarè labor arduus, ille
Præmia namq; Tibi nunc opulenta refert.
Quid multis opus est, memorem ut Tua dogmata; certè
Invanum! quoniam cui vis aperta jacent:
Ast saltem voveo: Deus almus cuncta secundet,
Inde sibi ut surgat gloria, laus & honos.
Illustrèt sensus ut ritè præesse tenellis
Possis Musicolis, atq; docere simul.
Incolumem, precor, atatem Te servet ad altam,
Ac tandem sedem ducat ad ætheream.

MATTHIAS H. KYRIANDER
Lampensis.

STrenuus ut miles, sequitur qui Martia castra,
Perpetuum nomenq; sibi, famamq; reportat:
Assiduo sic qui Musarum castra labore
Sectatur, lauro cingentur tempora docta
Ejus, & æternùm laudesq; decusq; manebunt.
Ut non pœnituit Te tempore scripta diurno
Nocturnoq; sophùm, sacrasq; addiscere lingvas:
Musarum meritò capis, en! sic digna brabeja,
Tem-

Tempora quæis Tua nunc exornat divus Apollo,
Ex imiâ clarus vocitaberis arte Magister;
Amplorum hæc igitur congrator præmia ho-
norum,

Et voveo ex animo grato, sit prospera, quam Tî
KROOK, labor insignis meruit, virtusq; corollam,
Vergat & in laudem Jovæ, dulcis patriæque,
Proficiatq; Tuæ Domui. Post funera virtus
Vivat & æternum Tua fama, decusq;. Valeto.

ÆSCHILLUS ERICI

Wemo-Finlandus.

Quanta sit utilitas, quando studiosa juvenus
Artibus egregijs studet, atq; idiomata sacra
Discit, & haud faciles potis est tolerare labores:
Exemplo nobis K R O K I id testaris aperto,
Lingvas qui assiduus sacras sectatus es. Ergo
Jam tandem meriti Tibi nunc redduntur honores,
Præmia Tî docto doctus parat ipse Apollo.
Gaudeo, ne tantas grator de pectore laudes,
Ex animoq; Tibi Clarissime in arte Magister.
Per multos summo Jovæ feliciter annos
Pascito proficuis patriæq;, Tibiq; Tuisq;.
Vivito ter felix diuturna tempora vita,
Culmina sic superum demum conscendito celsa.
Annuet bis calidis votis, voveo, almus IOVA.

Quæ

*Que sterili calamo Favitor Tibi carmina parxi,
Sunt levia fateor hæc Benefactor fronte benignâ
Accipias, oro, filo de pectore prompta.
Hisce vigeto, vireto diu, semperq; valet.*

JOHANNES RACHLITIUS
Wiburg.

Usq; suos virtus cultores alma coronat,
Sudoresq; pios præmia digna manent.
Hoc satis ostendit nostratum gloria magna,
Magnus honor sopher, Theologiæq; decus.
Gratulor ergo Tibi Benjamin clare Magister,
Et precor ut placeat summo honor ille Deo.

ARVIDUS ARVIDI
Sculptorius Nylandus.

